~~152.~~

Rainmann,
Joh. Ant.

Dupl. coll. ad Pathet Th. spec.

I. 0885

15/X 89

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE

ENTERALGIIS PRAECIPUIS,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
EXCELLENTISSIMI ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Joannes Antonius Raimann,
Silesius Freywaldavensis.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Universitatis
die 2. Augusti 1834.

VIENNAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

VIRO

MAGNIFICO

ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO

DOMINO DOMINO

J. NEP. NOB. A RAIMANN

MEDICINAE DOCTORI,

SAC. CAES. REG. APOST. MAJEST. ARCHIATRO, AD EXCELS. REGIMEN AUSTR. INFER. CONSILIARIO, EQUITI RUSS. CAES. ORDINIS ST. STANISL. III. CLASS., PRAXEOS MEDICAE, PATHOLOGIAE THERAPIAEQUE SPECIALIS IN UNIVERSITATE VINDOBONENSIS PROFESSORI, NEC NON NOSOCOMII UNIVERSALIS ET BREPHOTROPHII DIRECTORI ET ANNO 1833 RECTORI MAGNIFICO IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI OPTIME EMERITO; C. R. ACADEMIAE JOSEPHINAE MEDICO-CHIRURGICAE VINDOBONENSIS MEMBRO HONORARIO, SOCIETATIS MEDICAE UNIVERSITATIS REG. PESTINIENSIS, MEDICAE LIPSIENSIS, PHYSICO-MEDICAE DRESDENSIS, MEDICO-CHIRURGICAE BEROLINENSIS, PHILOSOPHICO-MEDICAE WUERZEBURGENSIS, ALIARUMQUE PLURIUM

SODALI CORRESPONDENTI ETC. ETC.

PATRUO SUO SUMME VENERANDO

IN PERENNE GRATITUDINIS ET VENERATIONIS

MONUMENTUM.

Patrue summe venerande!

Quodsi grata benefactorum recordatio et divinum pietatis officium mortalium corda inviolata saepe fautoribus suis et tutoribus consuetim devinciat; ego quoque, qui TUO nomini memet tot tantisque modis sentio deligatum, TUAS supplex accedo ad aras, ut gratissimi animi piacula et debitae plenum verecundiae pectus coram omnibus patefaciam: non ut beneficiorum copiam, — quae dare TIBI facilius, quam numerare mihi, — hujus conatus aequem tenuitate, sed ut publice fatear, me tantum TIBI debere,

quantum solvere omnium virium intentione nunquam potero.

Ardet animus — deficiunt vires — meaque lingua nunquam satis diserta erit ad ea commode declaranda vota, quae pro TUI et DOMUS TUAE inclytae salute per superum gratiam quam diutissime conservanda pia mente perpetuo agitabo.

TU me patriis absentem laribus clementer suscepisti, studiorum curriculo ingresso nulla ratione defuisti unquam, et artis medicae propylaea ex TUO consilio salutantem non fautoris gra-

vitate tantum, sed PATRIS, ut verum fatear, amore et clementia omnimode promovisti!

Quare non quaestuosa spes, non vulgaris scribentibus mos aut odiosae adulationis cacoëthes, sed devinctissimi et gratissimi animi impetus memet evocarunt, ut numerum eorum ingredi auderem, qui sese clientes TUOS et servos scriptis suis profitentur, et quorum infimum ego me habeo, cultu tamen et veneratione nequaquam postremum.

Noli itaque recusare exiguum, quod TIBI offero, opusculum, sue-

taque clementia suscipere et favoris TUI jubare ulterius pergas, quaeso, gratissimum et addictissimum nepotem TUUM! qui precibus suis summi Numinis majestatem adorare non cessabit, ut TUAM, et TUORUM vitam ad urnam usque, quae sero eveniat, omnis generis prosperitate frui atque perfrui largiatur!

TUUS

gratissimus et addictissimus

Nepos.

Prooemium.

Lex academica cuilibet Medicinae Doctoris Laureae coronam desideranti impertit jussum, amplo ut ex Medicinae campo quidquid selectum calamo exaret, idque publici faciat juris. Hujus peragere mandata et mihi restabat. — Cor tremido quatebatur metu. — Officium enim tale valde arduum est Scholarum vix egresso limen, temporis quoque presso angustiis. Mente animoque hoc strenue pervolventi placuit tandem de materia practica literas mandare chartis et exiguum Enteralgiarum — summam earum ob frequentiam et dignitatem — tractatum mittere legendum.

Cedro notare chartam, tironis imbecilles multum superat vires: ne inaudita inde roges, quaeso, candide lector ac benevole! sed (aliena enim loqui non decet) apta solum ex optimis de hac re meritis scriptoribus solicite collecta pro-

priis nonnullis subfulta observatis. Inexperti Hippocratica in arte non est nomen quaerere, sed congrua cum cura de materia contrectanda hinc illincve dispersa in ordinem redigere aptum; hoc mi acciderit, naevisque, haud evitandis, si defoedatum sit, veniam tribue petenti.

Experte! acuto noli limare stylo, quaeso, sed boni consulas et fave

Auctori.

De enteralgiis.

Definitio.

§. 1. *Enteralgia*, (ab ἔντερον intestinum et ἄλγος dolor), colica, dolor colicus, omnis vocatur intestinorum dolor ab inflammatione immunis.

Nota. *Colica* vi nominis morbum designat intestini coli s. crassi. *Hippocrati* colica et iliaca passio idem significat. Juxta *Galenum* colica est dolor intestini coli acerbus, ab intestinorum tenuium distinguendus affectione.

Etymologia.

§. 2. Colica, dolor colicus, passio colica, kolikodynia, kolicoplegia, tormen, tormina colica, dolores intestinorum, Kolik, Bauchweh, Bauchschmerz, Bauchkneipen, Grimmen, Bauchgrimmen, Darmreissen, Reissen in den Gedärmen, Reissen im Leibe, Schneiden, Leibschneiden, Darmwinde, Darmschmerz. *Gall.* Colique, tranchée de ventre. *Angl.* Colik, Belly. ache the Gripes. *Holl.* Kolyk, Boikwae, Darmscheels-pyn.

Antiquitates.

§. 3. *Plinius secundus* *) colum (dolorem colicum) qua novum describit morbum, effando, Tiberius Caesar in eum quod omnium inciderit primus. *Plinius* (*Burserius*) de doloris colici tantum specie tunc tem-

---

*) C. *Plin.* Sec. lib. XXVI. cap. 1. hist. nat.

poris primo epidemice grassante, sermonem facit. — *Sennertus* *) vero et *Tronchinius* **) ostendunt, *Cassium, Themisonem* jam et *Philonem tarsensem* de colico loquutos esse dolore.

Medici antiqui dolorem nonnisi colicum aut iliacum enuntiabant intestinorum; illis enim (*Celsus* ***) duo tantum erant intestina, κῶλον scilicet (crassum intestinum plenius, et εἴλεον (tenue). Haec doloris distinctio a loci diversitate, a sede et intensionis dependebat acerbitate.

Ast (quod cadaverum docuere sectiones) intestinum colon a natura saepe sedem obtinet alienum; viscera abdominalia — ventriculus, hepar, lien etc. — nimis ampliata, turgida, infarcta, tractus intestinalis excrementis plenus ac distentus illud suo pondere hypogastrium versus deprimunt, colon ipsum aëre inflatum ut tympaniticum redditum, modo circa umbilicum, modo inferius, modo superius ad costas spurias usque elevatur, vel et per thoracula constrictum ad medium propellitur abdominis. Simili quoque pactu et intestina tenuia locum ac sedem mutant, quod haud raro accidere solet, sub graviditate, ascite, hydrope saccato vel cystico, sub herniis, tumoribus mesenterii, omenti, ovariorum, uteri, tubarum *Fallopii,* aliarumve abdominis partium, ab hepatis, lienis, pancreatis, renumve mole auctis, a ventriculo dilatato vel et prolapso.

Ventriculi situs perpendicularis interdum ad pubem usque extensus repertus est in heluonibus.

---

*) *Sennert.* med. pract. lib. III. P. II sect 2. cap. II. quest. 1.

**) Tronch. de col. pict. cap. I.

***) Lib. IV. cap. 13.

Doloris acerbitas etiam variat, ita ut neuter dici queat acerbior: dolor aliarum in abdomine partium reconditarum etiam pro intestinorum imponere potest dolore. Nec vomitus fidelis iliaci doloris semper est comes, nam et colica sub passione vehementissimos videre licet vomitus.

§. 4. Has, ut evitent difficultates medici hodierni abdominis vel intestinorum dolorem vehementem quemvis generatim *colicam*, leviorem autem *tormina* (a torquere) dicunt.

Optima, quae omnem colicae effugit ambiguitatem quum non semper ad intestinum colon sit sedes, denominatio, illa est *enteralgiae.*

§. 5. Enteralgia morbus manet semper valde difficilis et summe anceps, sensatio enim dolorifica in abdomine quum a diversissima provenire possit causa, diagnosim reddit dubiam, et ex hac cura fluit difficilis, et colica etsi mitis videatur, haud raro perniciosissima evadit citoque lethalis.

§. 6. Enteralgia, vix non semper aliorum morborum symptoma, raro morbum sistit substantivum. Etenim febres gastricas, rheumaticas non solum concomitatur et catarrhales, diarrhoeam et choleram, verum et hypochondriasim, hysteriam, dysenteriam et arthritidem, nascitur ex vitiis organicis et incitamentis localibus variis: quo pertinent obstructiones, indurationes viscerum abdominalium, ossificationes, scirrhus, ulcera, concretiones vel intussusceptiones intestinorum, vasorum laceratio; varicositas, aneurisma, hernia incarcerata, haemorrhoides, uteri inversio, materiae deglutitae heterogeneae, venena acria, purgantia drastica, calculi fellei vel et renales, vermes intestinales, aliorum morborum metastases (arthritidis, variarum impetiginum), menstruationis incommoda, graviditas, partus. Sub tali rerum modo enteralgia est

nunc inflammatoria conspicienda, nunc nervosa, idiopathica vel sympathica, modo acuta, modo chronica, continua aut periodica, sporadica endemica vel epidemica, saburralis, flatulenta, verminosa, catarrhalis, rheumatica etc. etc.

Nosographia.

§. 7. Vel extemplo oritur enteralgia, vel et varii eam per aliquod temporis spatium antecedunt prodromi. Quorumvis dolorum colicorum (effectus etsi differant secundum causarum diversitatem) symptomatum talis sequitur plerumque syndrome: aeger tensionis, pressionis aut ponderis in abdomine edit sensum, de plenitudine ad regionem scrobiculi quaerens cordis; anorexia, ructibus, nausea vexatur ac vomiturtionibus, borborygmis nec non torminibus; dolores accusat pungentes in abdomine, scindentes, lancinantes, plus minus acerbos, atroces, modo periodicos modo continuos et remittentes; modo fixos, certam nempe ad abdominis regionem — hypochondriacam, umbilicalem, iliacam etc. — restrictos, modo uti plurimum vagos; invitatur ad automaticos per dolores motus; abdomen manui exploranti offert vel molle aut duriusculum, vel retractum, tensum aut durissimum, vel prominens, murmurans, dolens rudiori sub attactu; cogitur ad vomitum, edit multos miser ejulatus, involuntarie attrahit femora, fauces, ventriculum vel et ani sphincterem spasmis habet correptum, faeces pigre deponit vel (raro) diarrhoice, vel alvum penitus gerit obstructam; difficilem tunc trahit spiritum, inaequalem; validam percipit cordis palpitationem, summamque praecordiorum anxietatem; inani tentatur flatus emittendi conamine; pulsus offert parvos, duros, contractos (spasticos) inordinatos, intermittentes,

filiformes; faciem modo rubentem et intense calentem, pallentem modo et frigentem; frigidas quoque extremitates; suspensos gerit testiculos; inquietus modo huc jactitatur modo illuc; corripitur horripilationibus; sentit frigus ad spinam dorsalem; cutem frigescentem vel siccescentem habet, vel madidam frigido tectam sudore; difficile pellit urinam, afficitur ischuria vel stranguria; doloribus ad summum, intolerabilem evectis gradum, torquetur ileo, ani retractione ventrisque tympanitica expansione; erigitur penis, et inscius semen per pollutiones effundit invitas; miserrimus tandem hallucinationibus adficitur, singultu, vel convulsionibus, aut lipothymia, vel et enteritide in gangraenam cito terminanda lethalem correptus ultimum spirat aërem.

Duratio et Terminationes.

§. 8. Mali durationem variam causarum dictat diversitas, morbi conditio primarii, doloris natura et intensitas, aegri dispositio et constitutio etc. unde acutum nunc enteralgia nunc chronicum amat decursum, vel ad paucos dies vel ad septimanas imo et menses extensum. — Faustis sub rerum circumstantiis, gradu morbi leniori, corporis compage robusta non exhausta, causarum enervatione facili etc. redeunti cedit sanitati; — rebus minus faventibus ocyus serius in alios terminatur morbos enteritidem, ileum, choleram, morbos secundarios varios cachexiarum et nevrosium, intestinorum paralyses, gangraenam etc.; — tristissimus in mortem modo primario modo secundario est exitus. Malum censetur omen, subito ubi cessat dolor, frequenter ubi aeger vel singultit vel convellitur. Cel. *Frank* de tristi hujus morbi exitu ita effatur: in colica, quae lethalis est futura, dolores

sunt fixi, acerbissimi, perpetui. alvus pertinaciter clausa, singultus, vomitus, vigiliae, extremitatum frigus, sudores viscidi, frigidi, syncope.

Haec nunc prolata, causae enteralgiarum in genere si fuerint consideratae, specialius in subsequis exponenda relinquo.

Causae enteralgiae praedisponentes.

§. 9. Colicae ortui dispositio ita dicta nervosa magnopere favet, quae cum praevalente ingreditur canalis intestinalis irritabilitate et sensibilitate morbosa; uti e.g. in infantibus, hypochondriacis, hystericis etc. videre est; ita quoque, quam maxime, qui iracundia facile excandescunt; qui haemorrhoidum, arthritidis aut mensium anomaliis, turbis, adfliguntur aut vexis; qui calculos felleos, vel urinales gerunt reconditos, aut qui viscera abdominalia habent labefactata, aut vitiis adfecta variis organicis, enteralgiis reperiuntur subjecti.

Metfard (*Weber's* System der practischen Arzneikunde, Bd. II. S. 111) illos praecipue homines in colicam praedispositos se observasse ait, qui parum transpirant, raro sudant, in quibus omnium functionum naturalium — ut in melancholicis accidere solet — observatur tarditas.

Causae enteralgiae occasionales.

§. 10. Causarum excitantium secund. clariss. *a Raimann* *) duplex enumeratur species, ipsi morbi

*) Handbuch der speciellen medicinischen Therapie. Bd. II. Seite 559.

characteri innixa; quatenus hunc nimirum vel irritativum reddat vel nervosum.

Ad primam speciem spectant: cibi vel potus aut mole nimia aut indole prava ingesti; — pingues, acidi, austeri, putrescentes, degenerati, vina juniora, acida etc. —; succi inquilini — mucus, succus gastricus, entericus, pancreaticus, vel bilis etc. — corrupti; medicamenta acria; emeticorum, drasticorum (Scammonii) abusus —; venena: arsenicum, plumbum —; pus, sanies, sanguis, in abdomine collecta; aromaticorum, spirituum fermentatorum crebrior usus; corpora deglutita dura — cerasorum nuclei vel prunorum etc. —; glacialia aestuanti ingesta corpori; nutrimenta nimis fervida; clysmata irritantia; vehemens abdominis compressio, contusio; metastases variae, — impetigines suppressi, aut praecocius sanati —, ulcera incaute tractata, haemorrhagiarum organismo assuetarum suppressio, uti haemorrhoidalis fluxus, vel catamenialis vel lochialis et arthritidis —; vitia varia organica (ubi frequenter chronica orditur colica) — intestinorum coarctatio, concretio, volvuli, tumores, indurationes, abscessus, erosiones, vulnera, aneurismata —; hernia incarcerata; morbi varii et intestinorum et viscerum vicinorum, — hepatis, lienis, pancreatis, omenti, vel et (per consensum) cerebri, organorum genitalium, systematis dermatici. —

Alterius farinae sunt: jejunium diuturnum continuum, fames protracta; animi adfectus deprimentes, moeror, tristitia, timor, terror, taedium aliave animi pathemata; humorum nobilium per dispendium profusum jactura — seminis turpem per onaniam, blenorrhoeam uterinam —; morbi hysterici, hypochondriaci, epilepsia, febris intermittens larvata, faecum excernendarum retentiones, graviditas, dysmenia, chlorosis, partus difficilis, laboriosus, vermes etc.

Enteralgiae divisio.

§. 11. *Sauvagesius* 22 assumit enteralgiae species. *Cullenius* colicam a sede causarum dividit in idiopathicam et symptomaticam; et idiopathicae septem assumit species; utpote: spasmodicam, pictonum, stercoraceam, accidentalem, meconialem, callosam, calculosam.

Frank colicam dividit in eam, A. quae pendet ex vitio locali, mechanico, organico sive ad ipsa intestina, sive in parte remota haerente, huc pertinent: col. saburralis, stercoralis post ingluviem etc., a meconio relicto, a vermibus, a venenis: aerugine, plumbo etc., — a calculo intestinali, — renali, — a varicositate venarum intestinalium, ab angustatione intestinorum, induratione partis cujusdam intestinalis, ab intestinorum in nodum convolutione, ab invaginatione, volvulo; a tumore viscerum abdominalium, hepatis, lienis, pancreatis, glandularum mesenterii etc. B. Quae pendet e totius systematis affectione, et haec est: 1. sthenica, — in juvenibus robustis, bene nutritis etc. — 2. asthenica, — col. periodica ex febre intermittente larvata; col. hypochondriaca, catamenialis, haemorrhoidalis etc., et 3. Col. quae ex utroque hoc vitio sumit originem

Jahn colicam dividit in 1. saburralem vel stercoralem s. col. a sordibus; 2. col. biliosam; 3. c. flatulentam; 4. col. haemorrhoidalem s. sanguineam; 5. col. verminosam; 6. col. spasmodicam; 7. col. saturninam, metallicam, s. Pictonum, pictaviensem, damoniensem, rachialgiam metallicam.

Cel. Prof. *ab Hildenbrand* secundum causarum diversitatem divisio est sequens: 1. Col. inflammatoria et quidem; a) traumatica; b) rheumatica; c) ca-

tarrhalis; d) haemorrhoidalis; e) saburralis; f) ab heterogeneis solidis; g) a venenis; h) a faecibus. 2. col. a vitio organico, uti c. ulcerosa, carcinomatosa, ex hernia, scirrhosa, verminosa, calculosa; et 3. col. nervosa; a) flatulenta; b) spasmodica s. hysterica; c) saturnina.

Enteralgiae divisionem a causarum diversitate depromptam, et a cel. et Clr. a *Raimann* statutam hic locorum exponemus, in sequentibus describendam.

§. 12. I. *Colica subinflammatoria* 1) *col. subinflammat. idiopathica*; a) c. saburralis; b) c. flatulenta; c) c. biliosa; d) c. verminosa; e) c. metallica, speciatim saturnina; f) c. vegetabilis s. pictonum; g) c. a causis topicis mechanicis orta, aut organicis. 2) *col. subinflamm. sympathica*; a) c. hepatica; b) c. renalis 3. *col. subinflam. jam sympathicae jam symptomaticae*; huc pertinent: a) c. sanguinea; b) c. rheumatica; catarrhalis; c) c. arthritica; e. c. metastatica. II. *col. nervosae*; quae sunt: a) hysterica b) hypochondriaca.

Harum nunc specialem adgredimur dilucidationem.

I. Col. subinflammatoriae idiopathicae.

§. 13. a) *Colica saburralis s. stercoralis*, hujus causas offendimus sequentes: cibos vel nimios ingurgitatos vel corruptos assumtos, uti pingues, tenaces, glutinosos, putrescentes, caseum, carnes fumo induratas, fructus horaeos aut immaturos aut majori assumtos copia, potulenta male fermentata; quae omnia colicae ortui eo magis prospiciunt, quo majorem reperiunt organorum digerentium debilitatem; meconii in neonatis, aut lactis adcumulationem depravati, vel crassi vel acescentis vel et pultis pravae vel mole majori ingestae, faecum stercoracearum, induratarum accumulationem et retentionem. Caeteris paribus proniores in hanc colicam observantur, qui vitam agunt seden-

tariam, aut quae gravidae sunt; idem valet de iis, quae saepius jam peperunt, et intestina recondunt inaequalis capacitatis, ut faeces intestini partem nunc dilatatam nunc constrictam permeando, modo hic modo illic debeant coacervari. Vix ambigua manebit diagnosis, ubi nutrimentorum aut potulentorum copia vel indole peccantium antecessit ingluvies, ubi oppletionis vel gravitatis in ventre percipitur sensus, abdomen durum, tumidum, stercore repletum tangitur vel et retractum; dolorum acerbitas vix exasperatur tactu; alvi pertinax est obstipatio.

In *colica neonatorum*, vel meconium relictum, vel lactis morbosi coagulum inculpatur, lac vero pravum reddunt, matris vel nutricis peccata, e. g. errores diaetetici, animi pathemata varia praecipue ira — venus, graviditas, etc., faeces, si secedunt, parcae, virides conspiciuntur et coagulatae, graves inde saepe saepius natae convulsiones, miseris inevitabilem inferunt necem.

§. 14. *b. Colica flatulenta*: hanc producere valent magna aëris carbonii et hydrogenei extrusi elastici ac rarefacti copia; aër enim talis distrahendo, ac distendendo, vellicat lacessitque intestina, dolores causat, et colicam flatulentam, a flatu videlicet ortam. — Flatibus obnoxii reperiuntur infantes acido primarum viarum laborantes; qui animi pathematibus vexantur, qui dyspepsia vel organorum digerentium et assimilantium debilitate adfliguntur, — hypochondriaci, hystericae — qui febres gastricas saepius et intermittentes sunt perpessi. Nutrimenta aut potulenta, quae gas in ventre valent extricare, sunt: poma immatura, cibi leguminosi, farinacei, oleracea, fructus horaei, cerevisia in fermentationem adhuc prona; vinum immaturum, aquae minerales, acido carbonico vel hydro-

thionico scatentes; haud raro haec colica imperfectae digestionis est productum.

Colica flatulenta sequentibus in lucem prodit symptomatibus: dolore fixo, vel — quod frequentius — vago, errante, tractum coli sequente, tactu non adaugendo; tumore abdominis resonante, borborygmis frequentibus; respiratione difficili, urinae et alvi excretione impedita. Flatus, si vel ore exploduntur vel ano, nec non frictio ventris malum sedant. Venter in ingentem saepe extenditur molem; protuberat haud raro umbilicus ita, ut herniam aemulet umbilicalem (omphalocele); spasmus si accedit, quaedam saepe intestini pars constringitur; aër dein in parte vicina conclusus hanc dilatat in saccum, qui post repetitam colicam persistens, huic semper reiterandae ansam praebet. Accedit interdum levis adfectio icterica.

Nota. Non desunt exempla intestinorum sub nimia ventris expansione ruptorum.

§. 15. c. *Colica biliosa*; hujus causam gerit bilis acris, rancida copiosius — aestivo praesertim tempore — secreta et educta, membranas nempe intestinales summe sensiles vellicando ac rodendo. Haec enteralgia uti febris biliosa, *sporadice* occurrit et *epidemice*, aestatis aut ineuntis autumni plerumque tempore; apparet in hominibus temperamento cholerico, et constitutione biliosa notatis, qui carnem putridam, corruptam, acrem majori ingerunt in quantitate; qui spirituosis crebrius indulgent, qui lucis solaris influxui sunt expositi, aut in iram, aliave animi pathemata proni. Praecedunt phaenomena biliosa, ut: caput vertiginosum, sapor amarus, sitis ingens, lingua flavicans, praecordiorum tensio, ructus biliosi, vomitus biliosus, alvus modo nulla, modo diarrhoica foetidissima, olidissima, urinae obscurae. — Interdum

raucedo imo aphonia. — Dolor in ventre est atrocissimus, ab initio vagus, tunc fixus in certo puncto, intestina quasi perterebrans et perforans, vel veluti fascia injecta constringens; non raro atrox incenditur febris biliosa. Colica biliosa id sibi proprium habet, quod dolor interdum mitior fiat, per aliquot penitus cesset horas; tunc vero atrocius recrudescat, quod aegri ejulatibus vultuve misero desperabundo solent praedicare. In dysenteriam, ileum, choleram, enteritidem aut hepatitidem sat saepe terminatur, et malum semper est periculo plenum. et libentissime recidivat.

Nota. *Colicam biliosam* dysenteriae saepe (*Sydenhamus*) praecedunt symptomata, et illa eodem cum hac epidemice grassatur tempore. (*Stollii* praelectiones ab Jos. *Eyerel* editae Vol. II. p. 186.)

§. 16. d) *Enteralgia verminosa* frequentissimus et taeniae et lumbrici ascaridis hospes. In infantibus scrofulosis vel juvenibus plerumque probabiles praesentes reddunt vermes: bulimus, tensionis in abdomine sensus ac subsilitionis, circuli lividi oculos ambeuntes, pupillae dilatatio, halitus foetidus, largior salivae fluxus, dolores in artubus fugaces, pruritus narium, praedilectus usus ciborum farinaceorum. Dolores in abdomine per vermes excitati sunt rodentes, mordentes; ab initio vagi, tunc ad umbilici regionem fixi, pungentes, serpentes, mane atrociores; evanescunt saepe, sed subito iterum apparent; halitus singularem spargit foetorem, facies pallet — raro rubet — alvus faeces excernit griseas. Dolorum ferociam ciborum mitigat ingluvies, nec non vermium secessus. Haec Colicae species atrocissima si evadit, syncopen saepe, spasmos causat et convulsiones.

Sub hac enteralgia non raro mucus tenax copiosus adest, non qua vermium causa, sed effectus po-

tius considerandus, quem intestina per vermes vellicata parant secretione morbosa.

§. 17. e) *Colica saturnina*, c. ex toxicatione plumbi. (Haec ad metallicam in genere spectat, quia et ab aliis metallis, mercurio, arsenico, cupro etc. oritur, unde c. mercurialis, arsenicalis etc). Hanc plumbum hujusque praeparata, cerussa, lithargyrum, minium, saccharum saturni, nutrimenta in vasis plumbeis aut male vitreatis adservata vel praeparata, cibi, aquae vel vina plumbo toxicata, aquae per canales quae vehuntur plumbeos, vapores vel halitu attracti vel deglutiti etc. gignunt. Sub judice lis est, an et per poros cutaneos obtingat toxicatio. Plumbarios, plumbi fossores, metallurgos, qui vasa terrea plumbo obducunt vitreo, figulos, pictores, qui pigmentorum genera dissolvunt, terunt, tundunt, et ore subtilius ex iis manantem hauriunt pollinem, tinctores; typifusores, aliosve in fodinis aut cerussae fabricis plumbi expositos vaporibus quam saepissime ab hac adfligi videre est.

Diri mali initium designant: (nisi subito invadat) molestiae et ponderis insueti sensus circa ventriculum; anorexiae, borborygmi; saliva uberior, caerulea quasi, dulcis, pulsus parvus; cutis madida sudore viscido, extremitatum vacillatio; virium languor; appetitus defectus —; diarrhoea moderata superveniens aegris offert salutem —; excandescit dolor in ventriculo fixus vel in infima abdominis parte; extenditur ab uno ad alterum ileum, tactu vel pressione non augendus; fit acerbior, terebrans, per vices exasperatur; ad umbilicum tunc tantus evadit, ut aegri, anxii summopere, desperabundi agitentur; adspectus aegri est moerens, curiosus, animus morosus, impetuosus; facies vel flava vel cachectica lurida; lineamenta faciei furorem exprimunt; febris nulla; urinae vel nullae vel parcae (stranguria); alvus adstricta, (per septem

et ultra dies saepe non aperitur) faeces arte eductae caprinae sunt, durae nimirum, globosae, scybalosae, stercorosae; summa haec et pertinax alvi adstrictio (quae clysteris saepe impossibilem reddit adplicationem) cum insigni musculorum abdominalium et umbilici introrsum contractione, enteralgiae saturninae signum constituit pathognomonicum; color totius corporis plumbeus, pulsus duri, tensi fili metallici ad instar, fortes, pleni, minime frequentes, intermittentes, mato ingravescente succedit vertigo, caephalaea acerrima, dyspnoea, asthma, cordis palpitatio, delirium ferox, coma vel apoplexia. Frequentius singultus, vomitus enormes, animi deliquia, malum terminantur; vel convulsiones, spasticae artuum contractiones, vel extremitatum paralyses (rarius inferiorum) aut amaurosis.

Liquescunt carnes, et musculorum substantia (ut nonnulli volunt) in massam convertitur adipocercam. Epilepsia, haud raro superveniens, per plures aegrum concutit horas.

Frequens malum enteralgia haec in urbibus sistit populatis, — ut Viennae — ob magnum opificum numerum, qui plumbum tractando occupantur. Sunt qui hanc 10 — 20 — 30ies exantlarunt, quo crebrius autem victores evasere, eo magis in illam manent dispositi. Hoc minus mirandum, quum causam non effugiant occasionalem; ut in metallurgis esse solet.

§. 18. Colica haec, si recens, celeri decurrens passu intra 2 — 3, 7 — 14 dies vel in sanitatem terminatur, vel in enteritidem periculosissimam, quam gangraena cito excipit lethalis. Felicem praesagiunt exitum, lingua mollis, humida, cutis mollis, pulsus aequalis, mollior, paulo frequentior, fortior, flatuum explosio, alvi libera excretio, mictus facilis secessus, somni reditus, ciborum appetentia etc.

Si chronice lenteque (ad septimanas imo menses saepe extensa) decurrit, periculosa saepe remanent posthuma, uti: paralyses variae, praecipue manuum, linguae, amblyopia, amaurosis, cophosis, tractus alimentaris deviationes morbosae, dyspepsia, diarrhoea, alvi adstrictio, intestinorum indurationes, vel et mors sequitur per febrim tabificam, quam metallicam dicunt, per apoplexiam, hydropem etc.

§. 19. Cadaverum sectiones in ventriculo et intestinis haud raro partem aliquam vel inflammatam vel gangraenosam demonstrarunt, intestina ita saepe coarctata et constricta, ut calamo vix concederent introitum scriptorio, singula intestina et glandulas meseraicas scirrhosa, pancreatem, lien, hepar, indurata, obstructa, in vesica fellea atram bilem, in atriis cordis venosis sanguinem polypose coagulatum etc.

§. 20. f. *Colica vegetabilis*, c. pictonum s. pictoniensis *Citesii*, c. Damnoniorum s. Damnoniensis *Huxhami*, Japonica, *Kaempferi;* hungarica, franconica Sennerti; moravica, Austriaca *Hoffmanni*, c. rachialgica, rachialgia *Astrucii*, metallische Kolik, Malerkolik, Bergsucht, Cyderkolik, Hüttenkatze, Madrider Kolik (quae a nonnullis qua species enteralgiae habetur vegetabilis), la colique du Poitou, *angl.* Painter's, Plumbers Colic, Devonshire Colic etc. Oritur a succis pravis aut potibus ex regno vegetabili depromptis, vinis acidis austeris junioribus, cerevisia immatura, acidis vegetabilibus, vel fructubus acidis austeris etc. Hanc ex arthritide derivat *Strackius*, quae vero secundum cel. *Haase* et cl. *a Raimann* et iisdem causis proficisci et penes illam poterit adesse. Muci intestinalis secessum et natam inde excoriationem *Grashugs* accusat. Alii aliam statuerunt causam. *Tronchin* hanc in nervorum intestinalium irritatione quaerit ac crispatione. *Wepfer* podagram

refert. *Tissot* venena arguit, vina, scorbutum. *Selle* a pomaceo derivat. Alii hanc a saturnina non distinguunt et plumbum damnant, ut *Cambalousier*, *Boerhave*, *Haën*, *Stoll*, *Packer* etc.

Haec colicae species cum illa saturninae multa communia, varia sibi propria vero manifestans symptomata, raro apud nos apparet, frequenter vero in Austriaca superiori in *Angliae* et *Galliae* provinciis, ubi et epidemice grassatur.

Dolores, ab initio sunt obtusi ad hypochondrium praecipue dextrum vel regionem umbilici, cum sensu ponderis; adparet nausea, anorexia, ructus et vomitus materiae acidae, acris; anxietas magna, linguam crassus tegit mucus; subsequitur somni inquietudo, gastralgia, alvus obstipa: dolorum tunc atrocissimorum ad ventriculum animadvertitur et thoracem extensio; preli abdominalis tanta est contractio, ut musculi anteriores vertebras attingere videantur; aegri incurvo corpore; inclinato capite, sedendo manibus premunt ventrem, levamen inde haurire cupientes, accedunt vomitiones bilis amarae, tenacis, anus vel faeces nullas, vel paucas, duras, globosas excernit nigrescentes, urina pellitur parca, flavicans, vel lateritia; pulsus parvi, sub. duri, contracti, irregulares; aegri summe emaciat habitum adquirunt cachecticum, variis torquentur convulsionibus etc.

Dolorem tensivum vehementem in artubus inferioribus praecipue saevientem mali ferociae sequitur mitigatio; et cum sudore largo exanthema modo miliare modo erysipelaceum in conspectum venit in pede; — unde de arthritide vel rheumate opinio.

Finem morbo non raro diversa imponunt mala, tremores, paralyses variae, amblyopia, amaurosis; cachexiarum species, et mors tandem vel soporosa vel apoplectica.

Enteralgia haec libenter amat recidivas.

Cadavera hac colica peremtorum diligentissima licet sectione reserata, plane nil de hujus mali in obscuris semper latitante natura attulerunt lucis.

§. 21. g) *Colicae a causis topicis, mechanicis, organicis oriundae.* Quae tales producere solent causae sunt: materierum deglutitio indigestibilium, durarum, acutarum, heterogenearum, incomestibilium, uti e. g. cerasorum nucleorum prunorum, vitri, acuum, ossium etc.; faecum induratarum, stercoracearum, accumulatarum in tubo intestinali retentio; viscerum obstructiones, incrassatio intestinorum, horum vel partium vicinarum callositates; scirrhi, steatomata; conglomerationes, intussusceptiones, volvuli, incarcerationes, parietum intestinalium concretiones partiales, horum inter se vel cum aliis partibus adjacentibus, ulcera, carcinomata etc.

Hae omnes species plerumque periculo plenae incedunt, facile vel cito citius in ileum abeundae aut enteritidem lethalem.

2. Colicae subinflammatoriae consensuales.

§. 22. a) *Col. hepatica s. icterica*; hanc, quae in intestinis tenuibus praecipue nidulatur omnia proferunt momenta, quae cystidem irritant felleam aut hanc et ductum biliferum distendunt, obstruunt, lancinant et premunt, (calculi fellei huc pertinent, unde colicae a calculis felleis nomen) et bilis accumulationem augent, liberumque illius intercipiunt secessum et effluxum; ut hepatosymphoresis, hepatitis, cystitis fellea; certior fit haec enteralgia per dolorem pungentem, tendentem, lancinantem in vesicae felleae regione; per ponderis et tensionis in regione epigastrii sensum, ventriculi constrictionem dolorificam; per dolorem hu-

meri dextri, et torporem cruris eusdem, praecipue si aeger ira commovetur. Per dolorem anxietas nonnunquam concitatur horrenda; prodit icterus, alvi excrementa parca sunt et grisea; urget gastralgia, vel enteritis, cum summa vomendi necessitate, ventrisque ingenti meteorismo. Diarrhoea tandem biliosa si in conspectum prodit, et calculos felleos pellit, salutaris saepe evadit morbum componendo.

N o t a. Bilis saepe ad rupturam tendit vesicam aut ductus biliferos.

Hebdomadibus, vel mensibus aliquot autem abhinc elapsis, praeter rationem cognitam eaedem colicae recrudescunt turbae, rebelles et atroces. Remanent hinc inde convulsiones, icterus, organorum digerentium et assimilantium inertia, kakochymiae et cachexiae variae.

N o t a. Calculorum in intestinis haerentium certum signum non habemus, quamdiu per anum non secesserint. — Vomitus junctus interdum salubre naturae est conamen, nimius vero alia iterum struit mala. — Colica a calculis felleis idem est, ac phthisis icterica aut hepatica *Mortoni*. (*Stollii* praelection. in divers. morb. chron. edit. ab *I. Eyerel.* Vol. II. p. 195) ab *Hoffmanno*, *Boerhavio* et *van Swieten* depicta. —

§. 23. b) *Colica nephritica v. renalis.* Quaecunque causae, quae calculos renales in pelvi renali, ureteribus, vel vesica urinali haerentes irritant, laedunt aut distendunt, hanc colicam inducunt. Dignoscitur saepe e renum praegressis morbis ex organismo diathesi arthritica, rachitica, scrophulosa notato, dolore premente ad vesicam antrorsum et ventriculum sursum sese extendente, cruris torpore et testiculi in latere affecto attractione. Urinae, si quae minguntur, sunt parcae, turbulentae, vel sanguiferae sedimentum, quod deponunt, sabulum, vel mucum tenacem gerit,

gravem, foetentem, adest nausea, gastralgia c. vomitu etc. Haec nunc prolata per corporis concussiones exacerbantur, motusque vehementes, equitationem, vectionem etc.

§. 24. c) *Qua tertia species* colica a dentitione difficili nominari meretur ad tractatum de Dysodontiasi referenda.

3. Colicae subinflammatoriae jam sympathicae jam symptomaticae.

§. 25. a) *Colica sanguinea*; huic ansam praebet sanguinis in tractu intestinali congestio activa, quam menses, lochia, vel haemorrhoides sustinent; oritur quoque si haemorrhagiae tales per quascunque causas lentius, segniusve aut insufficienter fluunt, vel intempestive sufflaminantur. Subdividitur:

α) *In col. haemorrhoidalem*, ex stasibus vasorum systematis venae portarum varie distributorum provenientem; vasa enim haec viscerum distendunt vasa vicina. Obnoxii sunt varicesani non tumidi, qui alias tumere solebant, vel si tumidi, non ut consuetim aperiuntur. Mictus incommoda, stranguria, ischuria et hanc comitantur.

β) *In col. catamenialem*, ortam ex sanguinis in visceribus abdominalibus coacervatione, huic si illius per uterum secessus subest prohibitus.

γ) *Col. lochialem*, ex lochiis vel parcis, vel penitus suppressis.

δ) *Et col. gravidarum*, quam feminae gravidae secundo, tertio vel quarto mense experiuntur saepe ex superfluo sanguine, qui totus non ad alendum foetum impenditur quique saepe numero abortum facit, cui uteri praecipue laxitas favet.

Quam maxime in col. sanguineam dispositi sun'

homines robusti, plethorici, diaeta lautiori, vinisque abutentes. — Dolores sunt atroces, urentes in abdomine, pulsus duri pleni tanguntur, fortes, inaequales et haud raro vera intestinorum incenditur inflammatio.

§. 26. b) *Col. rheumatica.* Quemadmodum rheuma artus et serosas alias occupare solet partes, sic et captum post refrigerium (pedum praecipue et abdominis) in intestinis primarie oritur vel etiam secundarie, rheumate in quacumque parte et quacumque ex causa evanescente. Dolores, qui in hac colicae specie in ventre exurgunt, subito aegrum invadunt; sunt punctorii, lancinantes, vehementissimi, per omnem ventris ambitum — omnem reformidantem attactum — diffusi, per vices remittentes, ad vesperas exacerbandi, diarrhoea, si accedit, serosa comparet, febris valida haud raro concipitur; morbus libentissime in enteritidem transit.

Multum consuetim diagnosim hanc juvant, alia rheumatismo propria symptomata.

§. 27. c) *Col. catarrhosa* inculpat refrigerationem diversimode susceptam, vel catarrhosam quamdam affectionem suppressam, ad mucosum intestinorum involucrum transmigrantem. Febris vehemens, et magna in characterem adynamicum propensio vix unquam desunt.

§. 28. d) *Colicam arthriticam* provocant: cohibita arthritidis evolutio, vel jam praesentis praecocius sanatio, aut perversa tractatio, aut penitus sufflaminatio. Praegressis variis arthritidis adfectionibus, hisque certo ac solito temporis intervallo non recurrentibus, colicam praedicunt: dolores intestinorum atrocissimi, vehementissimi, summa abdominis sensilitas, tensioque extrema, faeces modo parcae, modo diarrhoicae, urinae — nisi ischuria adfligat aegrum — turbidae, crassae, animus

dejectus, valde morosus, magnopere in iracundiam pronus, pulsus contractus, durus, raro febrilis. His cum doloribus colicis articulorum alternant vexae dolorificae, donec — quod frequenter — enteritidi locum cedant.

§. 29. e. *Colic. metastatica*, hujus semper culpam gerunt secretiones alicujus, vel processus cujusdam morbosi inveterati, exanthematici impetiginosi, vel ulceris praecocius exstinctio.

II. Colicae nervosae, c. spasmodica.

§. 30. a) *Col. hysterica* et *hypochondriaca* c. *periodica*, c. *convulsa*, c. *erethistica Swd.*: huic totius, vel systematis nervosi, vel gangliaris utpote morbosa subest sensibilitas. In individuis hypochondriacis, hystericis, vel febri intermittente vexatis — inde febris colicae v. enteralgicae nomen — haud rarum sistit malum, dummodo levis praecedant invitans error diaeteticus ira, metus, terror vel aliud animi pathema. Sensus contorsionis (plerumque) vagae, cum clavi v. globi hysterici imaginatione, oscitationes, horripilationes, tremores, urinarum copiosus, aquosus ac frequens secessus viarum uriniferarum spasticae adfectiones, pulsus durus rarus, inordinatus, gastrodynia et c. symptomatum praecursorum depingunt catervam.

Dolores in abdomine vagi ab initio, atrocissimi fiunt, dein, tactu leniuntur, et seorsim absque aliis spasticis adfectionibus raro comparent. Quodsi spastica adfectio residet circa finem duodeni, vel in jejuno — plerumque in malo hypochondriaco v. hysterico — intensus recrudescit dolor in lumbis, ructus reiterandi frequentes, praecordiorum anxietas nec non aëris liberi

renovatio per pulmones difficillima ex tympanitica ventris expansione.

Nota: Huc pertinent quoque:

α. Colica a conceptione.

β. Col. parturientium, ex conamine pariendi inani; dolores partus spurii incipiunt a lumbis, pergunt antrorsum et sursum umbilicum et epigastrium versus, absque nisu uteri deprimente, unde foetus non promovetur.

γ. Col. a partu.

Enteralgiarum ab aliis morbis distinctio.

§. 31. 1. *Ab enteritide*; haec haud facilis est negotii, si colica est subinflammatoria, quae libenter in ipsam desinit inflammationem; vel si enteritis chronica enteralgiam aemulat. In enteritide autem febris gravis spasticas superat affectiones: dolor ad certum intestini locum restrictus continuus est fere continens, urens, per omnem ventris breve se extendit ambitum, quemvis post levem attactum exasperatur, vomituritiones frequentes et vomitiones biliosae dolorem augent, pulsatio intrinseca, abdomen tumet, calet, a procul jam omnem tactus ope recusat explorationem.

§. 32. 2. *A Peritonitide*; hanc distinguunt dolores magis superficiales, fixi, tactus reformidatio, calor in parte dolente multum auctus; corporis decumbentis erectio vel antrorsum incurvatio valde dolorifica (haec colicum mitigant dolorem); nausea, vomitus, flatus, alvi clausae absentia, quae intestina accusarent affecta.

§. 33. 3. *A Gastralgia*; haec diagnosis prodit et dolore in regione epigastrica, ad spinam dorsi, vel ad scapulas usque qui ascendit, et ructu vel ipso vomitu lenitur. — Non facilis semper est morbi utrius-

que diagnosis (*Frank*) ob consensum ventriculum inter et intestina vicina; difficillima vero, ubi ventriculus magis dilatatus, profundius descendens fucum facit.

§. 34. 4. *Colicae idiopathicae a symptomatica distinctio.* Haec praecipue ardua est in hepatica vel icterica, et nephritica vel renali; nisi calculorum per urinas aut alvum cum levamine praecesserit secessus.

Prognosis.

§. 35. De praesagiendo eventu morbi cujusvis futuro, jam *Hippocrates* dicit, illum optime sanare intelligere, qui futuras praevidet adfectiones. Enteralgiarum prognosis nunquam spernenda; quaevis species suam agnoscit, causarum innixam rationi. Variam igitur aegri sortem futuram causarum actio nociva, morbi gradus, symptomatum vehementia, nec non sexus, aetatis, habitus corporis, morborum praegressorum, aliarumque circumstantiarum accidentalium prudentissima determinabunt perpensatio. Laetiferum Colicae erit praesagium, si dolores remittunt, aut sedem mutant, spasmi cessant, faeces sponte secedunt cum levamine, si cutis transpirat, aut sudore madida tangitur, si urina normalis mingitur vel hypostatica, excretio quaedam suppressa restituitur, sique pulsus mollior evadit, plenior, fortior, et aequalis, undosus, affebrilis tangitur. — Morbi, in quos colica abit rebus non faventibus, frequentiores sunt: diarrhoea, alvi retentio, vomitus, dyspepsia, digestionis inertia ac assimilationis, icterus, enteritis, ileus, spasmi, tremores, convulsiones, epilepsia, amaurosis, paralyses, hydrops, concretiones variae, gangraena, sphacelus etc. etc. Mortis praecursores sunt: animi deliquia, singultus, convulsiones. Monente *Swietenio* mors instat, si cum pulsu parvo, contracto, singultu, extremitatum

frigore, dolor subito remittit. Recidivat libenter colica, ubi, discussos post dolores, aegre et globulorum ad instar deponitur alvus. Paralysis, reiteratas quae sequitur enteralgias, sanatu est difficillima.

Enteralgia saburralis felicius, quam aliae, sanatur; faustam illius igitur prognosim subsequa orta nonnisi limitaret enteritis.

Laeta *enteralgiae flatulentae* est prognosis, si aegri non aliis tentantur morbis, si organorum digerentium nulla adest inertia; si non summum attigerit gradum, nullaque adsint inflammationis signa. Adverso rerum pactu paralysis est timenda.

Biliosae praesagium variat secundum morbi gradum varium, aegri aetatem ac constitutionem variam; periculosior est senectuti, individuisque morbis decrepitis, laetior contra juvenibus athleticis. Recidivat libenter, non raro in ileum, choleram abit aut febrim biliosam; icterum etc. Vomitus aut diarrhoea non raro critica apparent.

Verminosa col. periculi minus habet; nisi intestina perforentur vel epilepsia aut convulsiones subsequantur.

Quam maxime timendae sunt: *colica saturnina* et *c. vegetabilis* ob alvi retentionem pertinacissimam, vel dolorum continuitatem et paralyses. Superveniens epilepsia plerumque est lethalis.

Vitium locale non tollendum enteralgiam reddit lethalem.

Enter. *hepatica* et *nephritica* timorem incutiunt, nisi calculorum obtingat secessus, aut calculosa corrigatur diathesis.

In *c. sanguinea* solatio sunt: haemorrhagiae narium, haemorrhoidales, fluxuum aliorum suppressorum restitutio, diarrhoea etc.

Col. *rheumatica* et *catarrhalis* sudoribus largis nec non urina hypostatica saepe judicantur.

Col. *arthritica* nunquam non timenda ob diathesim profundissime in organismo radicatam.

In col. *matastatica* bonum admittunt judicium: artuum dolores redeuntes, in cute maculae, nec non largi per totum corpus diffusi sudores.

Enteralgiae *nervosae* prognosis, quum sit diathesica colica, magnopere erit limitanda.

Enteralgiae *chronicae* instantanei periculi quidem nil habent, ast ob causas non amovendas libentissime recidivant.

Ileus ex colica ortus, et vomitus stercoraceus (qui laceratam supponit valvulam *Bauhini*) summe quidem periculosus, non vero semper lethalis est. — Ex dolore subito cessante, ex alvo in ileo fors respondente, cave ne sanitatem spondeas; ille enim cessare, et haec respondere potest ex paralysi intestinorum vel gangraena; ut monet *Baglivius* (oper. suor. lib. I. cap. 23.)

Therapia.

§. 36. Omnis Enteralgiarum cura rationalis *primo* causam adgreditur, morbum ipsum dein ex illa emanantem. Oportet hincinde, causam occasionalem effectricem amovere vel non amovendam innocuam reddere. Morbi cujusdam symptoma si est enteralgia; in illum dirigenda erit cura, illiusve characteri ac gradui adcommodanda. — *Phlogosis* igitur si subest, methodum deposcit antiphlogisticam, emollientem, relaxantem, refrigerantem, sedantem etc. *nevrosis* verò incitantem, nervinam, alterantem, specificam etc.

Causa amota, aut ita truncata, ut diutius agere nequeat: *altera* Enteralgiarum exurgit *indicatio*: sen-

sibilitatem et irritabilitatem intestinorum nimiam obtundere, tractuique intestinali, ac systemati gangliari novum robur addere; — *ultima* dein indicatio, morbos posthumos sanare jubet.

Nota. 1. In omni colica, aphoristica illa *Hippocratis* sententia omnem medentis meretur attentionem; „scilicet non nocere, si prodesse non possumus."

Nota. 2. *Cullen* in qualibet colica gravi ad praecavendam inflammationem venam suadet secandam, vel et ideo, quod spasmos valeat mitigare: phlebotomia vero morbo adcommodetur et aegri constitutioni.

Specialis Enteralgiae cujusvis cura.

§. 37. In *colica saburrali* prima semper manet indicatio, saburram eliminare; diarrhoea enim, si quae adest, symptomatica potius censenda. Tunc remedia tubum intestinalem reserantia in usum vocentur; purgantia, solventia leniora, salina mitissima, quibus, ut tuto agant, enemata alvum evacuantia sedule injecta antecedant; talia sunt: Dta. mucilaginosa, diluentia,— Dta. alth., gram. etc. c. manna, Dtm. tamarindinatum c. sal. amar., mirab. Glaub. etc., Rheum, Senna, inf. lax. Vienn. c. sale quodam neutro antiphlogistico etc., quae omnem saepe medelae absolvunt paginam. — Adhiberi dein possunt, spasmum sopientia, uti: balnea tepida, fomenta calida, emollientia, abdomini imposita, tanquam balnea topica.

Diaeta quoque summopere restricta non posthabenda.

Remedia nervina aut nocent, aut nihil juvant (*Stoll*). Absint opiata. — In majori mali gradu, ubi aliis non cedit pharmacis, cathartica proponunt cum opio *Sydenham*, *Riverinus*, (obs. med. cnt. 1 obs. 1) et *Huxham* (de colic. Damnonior.) Venaesectio in rebelli

solum atrocia conveniret, futura timenda ut praevertatur phlogosis (*Idem*).

In *colica neonatorum* meconium aut lac coagulatum blandis subducatur purgantibus, mellitis, syrupis, syr. cich. c. rheo; syr. manat. etc.

§. 38. *Enteralgiae flatulentae* cura. Primo hic oportet causam tollere; hinc materiam fermentantem, aut eam, quae gas extricare valet, eliminare; aëri intus collecto, intestinaque distrahenti, liberos conciliare exitus; dein roborare et tonum addere intestinis languentibus. Quadrant ergo, Rhabarbarina (non autem manna); remedia gas absorbentia, lapid. cancror. c. Rheo etc. magnesia usta etc.; carminativa (physagoga) uti semina plantarum umbelliferarum, anisi, foenicul. coriandri, phellandr. aquatc., angelic., ligustic., nigell. sativ. etc. Infusa, aquae, elaeosacchara flor. Chamomill., anis., menth. crisp., meliss. cal. aromat. etc.; spir. nitr. dulc., liquor. min. anod. *Hoffm.* tinct. castor., vin. generos. etc. Clysteres injecti multum ferunt levaminis, nec non leves convulsi abdominis frictiones, ac compressiones. In magna ventris per aërem rarefactum inflatione (*Burser.* l. IV. p. 389) frigida adplicantur; et potus frigidi, et frigus extrinsecus abdomini admotum; valet enim frigus aërem coërcere, fibrasque ad reagendum impellere. *Galenus* cucurbitas siccas laudat.

§. 39. *Colicae biliosae* indicationes sunt: materias ingestas peccantes eliminare, solvere aut obtundere; bilis pravam indolem corrigere; viscera dein debilitata erigere. Conveniunt ergo emetica, solventia mitiora, gramn. in Dto. c. crem. tart., c. Tamarind., ser. lact., etc. acida, potus c. acid. vegetabilibus, acido tartrico, acetositate citri; succ. citric.; syr. berber., rub. Idaei, syr. acet. etc. clysteres solventes etc. et omnia, quae in febri biliosa medici respondent votis. Aegri

victu alantur tenuissimo, digestu facillimo, medicaminibus consentaneo, abstineant a cibis pinguibus, oleosis, pravis, tenacibus etc. In curae finem, si opus, porrigantur roborantia remedia blanda ac aromatica leniora, dosi pauca, sed frequenter repetita.

§. 40. *Enteralgia verminosa* sedatur ac consopitur vel haustu oleoso vel et clystere lacteo, sufflaminanda autem est per remedia, quae vermes enecant et necatos expellunt. Laudantur hunc in finem mixturae oleosae amygd. dulc., semin. pap. albi, semin. ricin. etc. purgantia cum sal. amar. semin. santonic.; infusa et aquae Chamomil., Valerian., Absynth., Tanacet. c. castor., asa foetid., pulv. fil. mar., oxym. squillit., pun. granat., — purgantia drastica, ol. Chabert., limatura Stanni, martialia etc. e quibus variae tunc secundum diversam morbi indolem a medicis concinnatae exsistunt methodi anthelminticae, buccis hinc inde plenis celebratae.

§. 41. *Colica saturnina.* Cura primo in ipsam enteralgiam, dein in hujus effectus posthumos dirigatur.

Primo actio toxicans, et irritatio ab hac inducta est obtundenda; emeticum nonnisi tunc foret propinandum, ubi toxicatio ex majori plumbi ingurgitati proveniret copia, ubi morbus recens ortus, et auxilium cito praesto esset; quare potius purgantia conveniunt mitiora, quae intestina leniunt, lubricant etc. laxantia, uti oleosa, ol. amygdl. rc., ol. ricin., salina leniora: sal. amar., sal. mir. Glaubr. In pertinacissima alvi retentione transeundum est ad purgantia fortiora rad. Rhei, pulv. rad. Jalapp. c. calomel, vel Calomel solum, infus. senn., aq. lax. Vien., clysteres irritantes c. salibus. Calomel bene conducit vel ideo, quod intestinalem producat salivationem.

Altera indicatio est dolores componere, fibras irritatas intestinales, crispasque relaxare, spasmumque reserare; his omnibus simul sumtis Opium respondet,

quod spasmos solvendo, fibras musculares relaxando stupidasque reddendo alvum aperit. Opium in majori exhibetur dosi; a quarta ad dimidiam grani partem omni bihorio, adhibetur cum mixtura oleosa, vel (ut *Stoll* vult) cum aquis et infusis aromaticis. Externa remedia, quae opii adjuvant actionem, sunt enemata purgantia, solventia, fomenta et unguenta emollientia ad abdomen, balnea vel simplicia tepida, vel saponacea, vel sulphurea, vel alkalina.

Burserius Opium cum camphora, et *Stoll* mixturam ex aqua, et extracto flor. Chamomill. syrupo Chamomill. cum camphora et opio puro compositam commendat. — *Burger* opium cum calomele, *Stoll* extractum hyoscyami: *Odier* ol. ricini larga dosi laudant. *Moseley* vitriolum Zinci, et *Hunter* calomel cum rheo in deliciis habent. *Hunter* secundum *Stoll* nervina purgantibus mixta laudibus extollit.

Stoll venaesectionem suadet. Qua antidota laudantur oleosa, saccharum, mucilaginosa, albuminosa etc. Pro specifico *sulphur* habetur. In rebelli per plumbum toxicatione sulphur c. magnes. carb. et Rheo sat saepe cum fructu exhibuit clar. a *Raimann*.

Opium sedatos post dolores in refracta dosi per aliquot adhuc poterit continuari dies, tunc sulphureticorum, amaricantium sequatur usus. (*a Raimann*).

Reconvalescentiae cura. Victus digestu facilis, eupeptus, frequens balneorum usus tepidulorum, solicita ab omnibus irritantibus abstinentia, motuum modicum exercitium, cura alvum retinendi apertam, etc. aegri salutem in integrum restituent. Metallurgis commendandum foret, cane pejus ac angue ut fugiant cum plumbo opificia.

§. 42. Restat adhuc pauca commemorare subsidia ad paralysim curandam enteralgiae saturninae posthu-

mam. Numerantur huc unguenta vel linimenta aromatica, frictiones siccae aut spirituosae cum spirit. serpill., formicar., urticar., tinctur. Cantharid., sinapismi, vesicantia, thermae sulphureae etc. *interne*: Castoreum, mosch., cort. peruv., benzoe, asa foetid., camphor., balsama etc. Dta. resinosa ex Sassafras, quajac., aut stimulantia ex serpentar., virginiar.; vina dulcia etc.

§. 43. In Enteralgia pictonum primo evacuantia, emeto catarctica, absorbentia etc. in auxilium vocantur, transeundo tunc ad remedia irritatas fibras, et spasmos sopientia, emollientia, inviscentia etc., quibus omnibus opium palmam eripit; tunc ad stimulantia nervina. Externe statutas explent indicationes enemata purgantia, cataplasmata emollientia, vel unguenta ad abdomen nec non balneorum usus; curae tonicorum tandem finem imponit subsidium.

§. 44. Colica sanguinea expetit, fluxum restituere suppressum, enteralgiaeque tollere causam; hoc praestant remedia antiphlogistica, emollientia, in- et externe propinata, phlebotomiae in pede institutae, sanguisugae ano, vel genitalibus, vel ossi sacro adpositae etc.

a) In colica haemorrhoidali speciatim requiritur haemorrhoidum restituere fluxum, quod valent clysmata emollientia, haec enim ani infima vasa emolliunt, distendunt, sanguinis torrentem illuc invitant, a superiori intestinorum parte avertunt; idem praestant fotus et vapores per sellam perforatam ad anum admissi, cataplasmata relaxantia etc. Interne conveniunt purgantia eccoprotica, alvum blande solventia, et salia media, quae versus inferiora sanguinem determinant. Nonnulli magnesiam praediligunt carbonicam. Absint aloëtica (*Stoll*). Venaesectio modo in brachio modo in pede ad voluntatem medici instituitur. Sanguisugae vero non adplicentur immediate ani tuberculis haemorroidalibus inflammatis, praesentem

enim exasperarent phlogosim, ulcerationi ansam darent et discussam jam invitarent phlogosim. Harum igitur adplicationis locus pone et in vicinia sit tuberculorum. Tuber haemorrhoidale multo grumoso distentum sanguine lanceolae ope est aperiendum.

β) *Colicae menstrualis* eadem ferme est medendi ratio ac in haemorrhoidali, ast cautius hic cum venaesectione est mercandum, (spasmi enim hic saepe plus urgent, quam inflammationis metus); locum hic tenent derivantia, pediluvia, semicupia, — raro vapores in pudenda mittendi suaderi possunt. — Cataplasmata et enemata emollientia; carminantia nonnunquam et antihysterica adhibenda.

§. 45. Colica *catarrhalis*. Juvant hic remedia antiphlogistica, emollientia, diapnoica frictio pedum pannis calidis involutio, balnea tepida, potus copiosus, tepidus infusi florum tiliae, sambuci, verbasci, malv., althaeae enemata emollientia oleosa, cataplasmata relaxantia ad abdomen. Tunc opium, pulv. Doweri, Dtum rad. alth., salep, extractum hyoscyami interne, et emplastrum vesicans suris adplicandum, aut aliud irritans in auxilium vocandum. Sub atroci dolore ac perstante et gravi praesente febri venesectio indicatur.

§. 46. Eadem ferme medendi methodus, ut in *colica catarrhali* opponitur *colicae rheumaticae*. Potus, fotusque emollientes ac tepidi, remedia diuretica, diaphoretica, vesicantia, medelae omnem explent paginam.

Egregiam opem eamque citissimam fert vesicans abdomini adpositum.

§. 47. *Enteralgiae arthriticae* tractamen therapeuticum et *enteralgiae metastaticae* idem est, quod sub colicae rheumaticae et catarrhalis cura exposuimus. Indicationes semper causam sequantur morbum facientem.

§. 48. *Cura colicae a causis topicis ortae* sanationis spem nonnisi tunc fovet, ubi causa ipsa potest auferri, quod si non est nostra in potestate, omnis medentis operatio ad remedia restringitur palliativa, quae mali ferociam saltem mitigant, dolores acerbissimos leniunt, aegrisque desperabundis levamen praebent ac solatium.

In summe pertinaci alvi obstructione faeces emolliri, harumque via lubricari debet, hinc *interne* potus demulcentes, mucilaginosi, remedia blanda, oleosa — ol. oliv., ol. amygd. dulc., ol. ricin. etc. etc. affatim assumantur; purgantia exhibere, quamdiu alvus pertinaciter habetur obstructa monente *Frankio*, tutum non est, externe adhibeantur enemata ex dto. furfur., alth. etc. cum oleo, sapone cum sale communi, oxymele, aceto, fomenta lenientia et cataplasmata emollientia ad abdomen, spinae dorsalis nec non ventris inunctiones ac frictiones etc. Sit victus humidus, lubricans, potus largus diluens. Si haec forent insufficientia, tunc ad clysteres cum infuso Sennae, tart. emet., tabaco etc. esset transeundum nec non suppositoria ex butyro salito, sal. gemm., aloë, agaric. colocynth., melle etc. *Hamilton* aquae calentis ad abdomen adplicandos suadet vapores. In hernia incarcerata tentanda est repositio, et hac non succedente operatio, ultimo tandem inflammatio est tollenda; in colica ab invaginatione, a volvulo nonnisi palliativa conceditur cura. In enteralgia, quae pendet ab intestinorum induratione, a scirrho etc., tentari quidem possunt *interne* Calomel, cicuta, digital. purpur., belladon., aqua laurocer., antimonialia et *externe* unguent. mercur., unguent. volatl., fomenta calida, cataplasmata, balnea emollientia, saponacea etc., sed raro tantum medici respondent votis et omnem remediorum palliativorum explent paginam,

si urgentia symptomata leniunt, periculosa nec non molesta sufflaminant. Ita in colica, ubi intestina suspicantur incrassata, vel coarctata vel callosa, unica est indicatio, urgentia componere symptomata, convenit inde regimen diaetae servare strictissimum, alvum movere per enemata eccoprotica, leniter aperientia, conveniunt quoque balnea tepida etc. Summae dignitatis vero in hac enteralgiae specie sunt *Opiata* interpolatim porrecta ad saevientes mitigandos dolores.

§. 49. *Colica hepatica et colica nephritica*, remedia antiphlogistica generosiora, emollientia, demulcentia, relaxantia, sopientia, in- et externe adhibita quà palliativa agnoscunt. Posset etiam calculorum per remedia congrua solutio tentari. (Haec vero ad aliud spectant tractatum).

Van Swieten refert solo Dct. graminis cum melle pro potu, et gramine jusculis carnium incocto fere pro unico cibo adhibitis hominem colica a calculis felleis detentum a se esse sanatum.

§. 50. *In Enteralgia nervosa* laudantur omnia remedia, quae palliant et sopiunt, quae emolliunt, mulcent, quae blande alvum solvunt ac epicratice; quaeque morbo ipsi opponuntur principali, nec non nervis aliam inducunt diathesim. Spectant huc; *interne* emulsa oleosa, rhabarbarina, aloëtica, extractum hyoscyami, opium cum suis praeparatis, aquae menthae, foeniculi et infusum flor. Chamomill. c. laudano liquid. Sydenh., syrup. alth., syr. diacodii, et *externe* clysteres ex infus. flor. Chamomill. cum moderata asae foetidae vitello ovi subactae quantitate, vel tincturae anodynae gutt. 10 — 20, fomenta sicca, calida aut cataplasmata ad abdomen, fomentationes aromaticae, siccae vel humidae, vinosae, unguent. alth., unguent. volatil., nervin. c. camph., inunctiones oleosae, balsamicae, aethereae — quae vi pollent et nervina et anti-

spastica, odoramenta, irritamenta ad plantas pedum, ad suras et rubefacientia, balnea tepida, emollientia: simplicia; — martialia hystericis nonnunquam — semicupia etc. *Burserius* in hac enteralgia opium laudat cum tantillo camphorae.

Nota. Colica parturientium detentis plethoricis venaesectio, aliis nervina, opium prosunt, aliisque enemata eccoprotica aut carminantia.

§. 51. *Reconvalescentiae cura.* Haec in enteralgiis generales sequitur reconvalescentiae curae regulas, recidivam nempe praevertere, nec non effectum tollere superstitem. Quem in finem ad sensibilitatem intestinorum nec non irritabilitatem morbosam sufflamminandam, et debilitatem universalem corrigendam remedia modo demulcentia, sedantia, nutrientia, aut erigentia, roborantia et congrua simul diaeta erunt indicata.

Auctores praeter adlatos in usum vocati praecipui.

Th. Sydenham, opp. p. 760.

De Haën, rad. med. P. IV. cap. 8.

J. Purcell, traité de toutes les espèces de coliques. à Paris 1767; übersetzt nach der 2ten englischen Ausgabe mit Anmerkungen v. *J. A. Ph. Gesner*. Nördlingen 1775.

Fr. Hoffmann, Med. rat. system. T. IV. P. II. S. II. c. 5. de intestinorum doloribus, atque in spec. de col. flatulenta et spasmodica.

M. Stoll, rat. med. P. II. IV. VI. et VII. et hujus praelectiones ab *Jos. Eyerel* editae. Vol. II. 1789.

Burserius de Kanilfeld, Institution. med. practic. Vol. IV. P. I. Lipsiae 1798.

J. P. Frank, de curand. hom. morb. ab *J. Eyerel* editae. L. VII. S. II. Viennae 1805.

Cullen, Anfangsgründe der practischen Arzneikunde etc. 3. Bd. Leipzig 1800.

Val. ab Hildenbrand, rat. medend. P. I. P. II. Vienn. 1809 et 1813.

Dreyssig, Handwörterbuch der medicinischen Klinik oder der practischen Arzneikunde. Bd. II. Th. I. Erfurt 1807.

Jahn, Klinik der chronischen Krankheiten. B. IV. Th. II. Erfurt 1821.
v. Raimann, Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie. 2. Bd. Wien 1831.
Richter, *Haase*, *Bischoff* etc.

Theses defendendae.

1.

Discere invita Minerva obest in omni arte, maxime vero in arte medica.

2.

Medici practici virtutes inter et proprietates haud exiguum intellectus ac prudentia tenent locum.

3.

Sensibilitas intestinorum cordis sensibilitati secundum *Hallerum* est proxima.

4.

Acida mineralia nunc solventium causticorum, nunc roborantium, nunc refrigerantium tonicorum agunt vices.

5.

Luis progenies venereae impossibilis est absque ulla infectione praegressa locali.

6.

Scarlatina inter exanthemata frequentissime agnoscit posthuma.

7.

Difficile est enteralgiam dignoscere, difficilius unam ab altera distinguere.

8.

Graviori in enteralgia venaesectio prophylactica nunquam nocebit.

9.

In enteralgia saturnina opium maximum est anodynum et evacuans.

10.

In hernia incarcerata, aeger, hac utut nunc feliciter reposita, nondum versatur extra teli jactum.

11.

Usus aromaticorum et spirituosorum inter plebem adeo vulgaris, in enteralgiis saepissime nocet.

12.

Et cura psychica suas in enteralgiis mitigandis et auferendis salutiferas agnoscit vires.